



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

In Nomine Sanctissimæ Et Individuæ Trinitatis, Amen. Institutionum  
Canonicarum Libri V. Summa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

IN NOMINE  
 SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ  
 TRINITATIS,  
 AMEN.  
 INSTITUTIONUM CANONICARUM  
 LIBRI V.  
 S U M M A.

**S**ponsalia sequitur Crimen, sive Judicium Ecclesiæ Criminalis: cujus explanationem postremo Decretalium Compilationis suæ Librò Gregorius IX. orditur ab Accusationibus, Denuntiationibus & Inquisitionibus, quibus potissimum viis modisque criminosi, quorum excessus ipsa facti Notorietas non defert, in judicium pertrahuntur. Tum verò, Calumniosis inson- tum delationibus severæ animadversionis coercitione remotis, Ecclesiasti- ci præcipuè Mixtisque fori Crimina cum Pœnis, in eorum reos Jure con- ficitis, enarrantur; & imprimis quidem ea, quæ in Divini Numinis con- tumeliam rerumque Spiritualium ac Supernaturalium vilipensionem, in Religionis Fideisque Orthodoxæ, ipsorum veri cultus Divini fundamen- torum, subversionem tendunt: deinde, quibus in vita aut membris læ- ditur proximus, aut injuriosa contrectatione labève & iniquitate usuraria in rebus ac bonis suis, in honore atque existimatione publica patitur de- trimentum: & demum ea, quæ Ecclesiasticorum Ordinum remeraria susceptione aut sacrilego susceptorum usu perpetrantur, & ferè clerico- rum propria sunt. Enarrationi Criminum subjiciuntur Privilegia & Privilegiatorum, præsertim Exemptorum, abusus sive excessus, atque istorum explanationi Purgatio à criminibus objectis: quâ secundum Ec- clesiasticorum Canonum præscriptum, non vanam Vulgi observantiam, in- dictâ, susceptaque purgati, tam Prælati, quam subditi, aliquando etiam laici,

)\* ( 2

crimi-

criminum, quâ laborabant, infamiâ & suspitione liberantur, ab iisque absoluti boni testimonii viri declarantur: in Purgatione autem illa deficientibus perinde, ut de crimine in judicio confessis aut legitimè convictis, præter impositam injuriæ damniq; privatis illati resarcitionem, constitutæ sunt Pœnæ, cum ad vindictam publicam & læsæ utriusque Reipublicæ satisfactionem: tum verò ad ipsorum delinquentium correctionem & contumaciam frangendam pertinentes & per sententiam infligendæ à judice, vel ab ipso Jure jam inflictæ. Quarum, & Pœnitentiarum atque ad delinquentium cum offenso Divino Numine plenam reconciliationem propositarum Remissionum pertractationi coronidis loco summi Pontifices Gregorius IX. & Bonifacius VIII. ut in Pandectis Justinianus Imperator, complurium Verborum significationem Juridicam & varias Juris Regulas attexerunt.



LIBRI